

20

D. D.  
DISSERTATIO GRADUALIS,  
VULGARIA QUÆDAM  
PLUVIARUM  
P R A E S A G I A  
*Expositura,*  
*Conf. Ampl. Fac. Phil. Aboëns.*

PRÆSIDE  
**D: NO PETRO KALM,**


S. S. Theol. Doct. Oecon. PROF. R. & O. nec non R. Ac.  
Sc. Stockh. & Soc. Lit. Ups. MEMBRO,

*Auctiore defendente*  
**JOHANNE HENR. LINDQVIST,**  
*Stipend. SegerCrantz. Bor. Fen.*

*Die 27 Jun. 1769. in Audit. Maj.  
Publice Ventilanda.*

---

ABOÆ, Typis Joh. CHRISTOPH. FRENCKELL.



Difficillimum est in Philosophia Natura-  
li problema de præfigiendis tempesta-  
tibus; harum enim mutationes tot di-  
versis iisdemque tam variantibus ef-  
ficuntur causis, ut generales quædam  
régulæ minime formari queant, quarum ope ad futu-  
ram cœli faciem concludere liceat. In mera hic acqui-  
escendum probabilitate & ut majorem aliquem hujus  
gradum attingamus, non paucæ quædam sufficiunt ob-  
servationes, sed diuturna multorum consulenda est ex-  
perientia. Multum hac in re debemus industriæ Viro-  
rum

rum Eruditorum, qui quotquot succurrerent tempestatum præsagia collegerunt, horumque veritatem diutinis observationibus Meteorologicis assidua cura probarunt. Quorum ea, quæ imminentem pluviam quam minime fallaci eventu indicant, publicæ jam luci committere & quantum quidem rei natura ac proposita brevitas permiserint, illustrare operæ pretium duxi. Usus ille eximius, quem probata hujusmodi præsagia, in re in primis rustica, præstant, spem mibi facit, Benevolum Lectorem innocuos conatus benigne excepturum fore.

## §. 1.

**E**x omnibus corporibus per universum Globum Terraqueum ingens continuo effluviorum multitudo in aërem elevatur. Horum, generatim loquendo, maximam partem constituere videntur vapores aquei, qui præ cæteris inpræsentiarum considerandi sunt. Hi causa quacunque sursum agitati atque pro specifica sua levitate in altum ulterius lati, ibi aut dissipantur aut condensati rursus in forma pluviae, nivis vel grandinis descendunt. In præagiendis igitur pluviosis ad duo in primis signorum genera attendendum esse arbitror, quorum unum, an in Atmosphæra vaporum ejusmodi satis magna copia detur, alterum, an guttas pluviales formare & sic descendere iidem vapores possint, indicat.

## §. 2.

Præsentiam vaporum in Atmosphæra præcipue ju-  
dicare licet

A) Ex humiditate aëris. Hæc vero præterquam quod Hygrometro optime dignoscatur, variis etiam aliis phænomenis haud obscure se prodit. Hujusmodi phænomena sunt: 1) Deliquum Salium & rerum quarumcunque salibus adspersarum. 2) Funium & chordarum ultronea tensio sive contraclio. 3) Lapidum in aëre subfrigidus mador. 4) Afferum aliasque materiæ ligneæ tumor. 5) Ligni sicci igni admoti difficilior exustio. 6) Candelæ ardoris crepitus. Humiditati etiam aëris tristruendum videtur, quod 7) Odor ex variis rebus ad majorem distantiam & multo fortior sentiatur.

B) Ex aëris densitate per vapores aucta. Hec probabiliter admodum colligitur 1.) Ex fono auctiori, 2.) Ex aëre corpus nostrum sensu quodam gravitatis afficiente, 3.) Ex nebula adscendente & 4.) Ex vore non deciduo.

C.) Solo visu. Quando nim. vapores aut attractione sua vel alia quacunque causa in unum confluunt locum, aut alias eorum augetur multitudo, non possunt non etiam oculo se prodere. Sic præsentiam vaporum in Atmosphæra arguant 1.) Cælum nigrescens vel nubculis conspersum & 2) Montium altiorum cacumina nubibus ad instar pilei tecta.

D) Ex majori luminis tam reflexione, quam refractione. Aër nempe aqueis abundans vaporibus radios

dios luminis longe fortius & reflectit & refrangit, quam qui purior est. Hinc varia oriuntur aëris vaporosi indicia, qualia sunt: 1.) *Diluculum tempestivius* & *ortus solis justo maturior*. 2.) *Aurora fortior* & *ubes rubentiores Solem orientem prægredientes*. 3.) *Solis & Lunæ in ortu vel occasu figura notabiliter ovalis*. 4.) *Color pallidus Solis præcipue orientis vel occidentis, pariter ac Lunæ*. 5.) *Parhelii atque Paraselenæ*. 6.) *Halones sive circuli circa Solem vel Lunam*. 7.) *Radii Solis ardenteres & quasi pungentes*. 8.) *Stellæ solito obscuriores vel etiam magis coruscantes*.

## §. 3.

Ut vero tutius de pluvia exspectanda judicium feratur, non sufficiunt allata (§. 2.) prognostica, quippe quæ, ex præsentia vaporum in Atmosphæra desumpta, non possunt non fallere, si vaporess hi aut vi ventorum ad alias transferantur regiones, aut etiam, aucta aëris gravitate, altius surgant & ex hac vel alia quacunque causa dissipentur. Videndum igitur simul est, utrum hi vaporess in forma pluviae descendere queant. Hoc autem in primis evenit, si aut aér fiat specificè levior, aut vaporess ipsi majorem acquirant gravitatem.

De levitate aëris optime judicatur ex descensu  $\frac{1}{3}ii$  in Barometro. Dantur vero præterea alia hujus rei indicia haud obscura, qualia sunt: 1.) *Descensus fulni* & 2.) *Nubes subsidentes*, ex quibus igitur verisimilime ad imminentem pluviam concludere licet (\*).

(\*) Excipiendæ vero hinc sunt pluviae tonitruales; no-

Inter præcipuas autem causas, per quas condensantur vapores & sic graviores redduntur, peculiarem venti merentur attentionem. Hi nimis multis modis vapores in guttas coire cogunt; eorum etiam multitudinem augent venti in primis ex majoribus consurgentes maribus. Hinc 3.) *Continuus per aliquot dies ventus Zephyro-Boreas (NW.)* indicium nostratisbus probabilissimum instantis pluviae præbet. Et par videtur esse ratio 4.) *Venti Meridionalis, tempore vernali (liquefacta scil. nive)* pluviam plerumque inferentis.

## §. 4.

Quæ hactenus attulimus pluviarum præfigia, ex principiis Physicis facile demonstrantur. Dantur vero præterea haud pauca, quorum causæ aut plane non, aut saltem minus liquide patent. Horum aliquot experientiæ magis consona enumerare jam licebit. Hujus scil. generis sunt: 1.) *Sol clarus quidem oriens, nubibus tamen ad plagam cœli occidentalem conspicuis.* 2.) *Sol obnubilus occidens.* 3.) *Aquæ in sinibus in primis marium, pariter ac in fluviis, exundatio tempestate etiam serena.* 4.) *Spontaneus fuliginis e camino delapsus.* 5.) *Flores in primis teneri interdiu complicati sive clausi.*

In primis autem ea pluviarum prognostica, quæ ex vivis desumuntur animantibus, attentionem mereri

vi-

vimus enim tonitrua, sub maxima etiam spe serenitatis & crescente aëris gravitate, pluviam imbreque subito excitare.

videntur. Si enim hominem excipias, qui, ædes plerumque calefactas habitans & vestibus contra viam aëris indutus, minus aptus est ad sentiendas leviores illas, quæ in aëre contingunt, mutationes (\*), cætera omnia animantia, aerem semper liberum spirantia nec ullo artificio insensibilia facta, minimas etiam facillime, quas aeris temperies subit, variationes dignoscunt, & hunc quidem sensum insolito quodam gestu vel motu produnt. Diligentiori igitur ad animalium actiones attentione non possumus non varia tempestatum præfigia maxime probabilia detegere. Sic multis observationibus probata sequentia sese commendant pluviarum præfigia (\*\*), quippe quæ illis etiam, quæ ex Hygroscopiis atque Barometris desumuntur, signis longe plerumque tutiora sunt: 6.) *Mugitus boum, terram cornibus pedibusque ferientium.* 7.) *Sues etiam sine fame vebementius grunientes & stramina portantes.* 8.) *Canes flatulentia fastidioque laborantes atque gramine vescentes.* 9.) *Phocæ super aquam caput frequentius tollentes.* 10.) *Aves variæ minores ad ædes & naves se conferentes hominemque vix fugientes.* 11.) *Colymbus arcticus (Linn. Fn. Sv. 150.) maritima relinquens & in continenti multo cum clamore circumvolitans.* 12.) *Hirundines humilius volantes.* 13.) *Aves*

(\*) Nec tamen contemnenda prorsus judico prognostica pluviarum ex hominibus petita, qualia v. g. sunt *manus sicciores factæ & quasi lubricæ*, nec non *dolor, quem instantे pluvia persentiscunt homines valetudinarii.* Hæc vero, ut specialiora & quorum copiam pauciores habere possunt, mitto.

(\*\*) De his vero, pariter ac de prius allatis pluviarum signis id communiter valet, quod ad pluvias tonitruales vix extendi queant. (cfr. §. 3. \*)

*Aves aquaticæ ad littora maris languidæ sedentes, ibique se lavantes.* 14.) *Gallus tempore insolito cantans.* 15.) *Pisces ex aqua subsilientes nec hamos facile vorantes.* 16.) *Ranæ tempore matutino vehementius coaxantes.* 17.) *Insecta varia, ut: Muscæ, Culices, Tipulæ, Tabani &c. hominibus jumentisque solito molestiora.* 18.) *Apes multo mane ad colligendum mel evolantes, sed mox ad alvearia sua redeuntes.* 19.) *Insecta interdiu sub plantarum foliis semet abscondentia & 20.) Lumbrici tempore diurno ex terra copiose eruptantes.*

## §. 5.

Præfagiis vero pluviarum, quæ paucis hic pagellis Tuis C. L. subjiciuntur oculis, nil tribuas magis enixe obtestor, quam quod ab initio jam postulavi. Eadem nim. ut indubitata non vendito. Probabilitatem solum eorum urgeo, & ut majorem hujus gradum assequaris, ne uni vel alteri eorundem confidas, svadeo, sed plura simul & tot quidem, quot suppetere possunt, cōsulas. Nec quendam ideo negaturum fore arbitror horum usum, quod apodictica destituantur certitudine. Quæ licet obtineri nequeat, satius tamen & consultius agere ducendus est, qui saltem probabilia sequitur, quam qui, neglectis omnibus prudentiæ regulis, fiduciam, in Providentiam Numinis collocandam, incūriæ suæ impie prætexit.

